

Sigismundus primus rex Poloniarum, nobilitati regni Poloniae.

84

Generose fidelis dilecte. Credimus iam nemini esse incognitum, quantum detrimenti reipublica regni nostri proxima estate accepit, cum terra nostra Russia à Turcis et Tartaris longe lateque ferro et igne vastata sint, ingensque in eis damnum factum, et nisi cum eo exercitu ex nobilitate et plebe terrarum minoris huius Polonia subito collecto accurreremus, multo maiora et peiora hostes ipsi moliebantur. Cupientes igitur futuris periculis occurrere, et regnum ab extremo interitu servare; indiximus conventum generalem in oppido nostro Piotrkow ad festum sancti Thomae apostoli futurum, ut cum universo senatu regni nostri et nuntius terrarum, super his rebus futura defensionis contra eosdem hostes, et super aliis multis que instant agenda, mature consultare possimus. Cum autem generalem conventum particularis in N. feria N. praecedet, itaque hortamur tuam fidelitatem, ut ad ipsam particularem conventum proficiascatur, auditaque legatione nostra, et consulat illic cum aliis que oportuna videbuntur, et min:

fios

lios viros graves, et ad res tantas tra:
ctandas et agendas idoneos, cum ple:
na facultate ad conventum generalem
eligat, pro fide sua et gratia nostra
factura. Datum Cracovia feria quinta
proxima post festum omnium sancto:
rum, anno Domini millesimo quingen:
tesimo vigesimo quarto, regni nostri an:
no decimo octavo.